



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

7. Junii. Vbi secundo cursu fluunt omnia, suscipio sit, an non illic parùm
felix sit Divini obsequii cursus? S. Ignat. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

expectandum. Ille quippe solus in nostra,
hic in unius Dei, est potestate.

Illam Dei erga nos liberalitas est, ut inopia
nostræ conscius nihil à nobis exigat,
præter bonam voluntatem, reliqua in se
assumit. Unde, qui fecit, quod potuit, læ-
gem implevit.

Etiā in rebus opinione nostrâ opti-
mis, si spes, & labores nostri cadant irriti,
credere debemus, esse melius aliquid, quod
licet nobis incognitum sit, satis est esse illi
in aperto, cui nihil absconditum.

Si tua intentio affectu careat, subtrahi-
tur tibi non occasio meriti, sed vanitatis,
hujus loco materia tibi offertur patientiæ,
aperitur campus adorandi judicium Dei.
Vide, quanta bona in bono non obtento!
Fac quod potes. Deus supplebit ea, quæ
non potes.

8. Junii.

*Ubi secundo cursu fluunt omnia, suspicio sit,
an non illic parum felix sit Divini obse-
quii cursus? S. Ignat. ibid.*

Nimia maris tranquillitas naviganti-
bus solet esse suspecta; diuturna
quippe malacia graviorum prodroma est
tem-

tempeſtarum. Non bene res agitur, ubi bene ſemper agi videtur.

Proſperitas nimia ſeducit ad vecordiam, tollit metum periculi, facit incautos hoſtium exponit inſidiis, ſui creat fiduciam, & quid hâc felicitate infelicius? latet anguis in herba.

Navicula Petri luçtatur cum fluctibus. Inter adverſitates creſcit Eccleſia, Sanguis Martyrum ſemen eſſe debuit Chriſtiano- rum: ita bona non fiunt, niſi renitentibus malis.

Ut ſine vulnere non gemmant vites, ſine vomere non ſperatur meſſis, nec ignis in flammam aſurgit, niſi flabris, & ventis concuſſa, ſic languet ſine adverſario virtus, nec eſt meritum, ubi deeſt difficultas.

9. Junii.

Mos ſpontanea mortificationis palàm extra ordinem ſuſcepta utiliter prohibetur: tum ut meminerint præſtare victimis obedientiam, tum ne ſe inaniter efferant. S. Ignat. in Hiſt. Soc. p. l. II. n. 6.

SI triumphus concedatur in minoribus, deeſt ſtimulus ad majora; inter ea quæ vincenda veniunt, principatum tenet